

ILLVSTRISSIMO AC GENEROSISSIMO
PRINCIPI IOANNI AB LVXEMBURGO

Antonius Erlautæus Maroliensis . S.



V V M iam pridem cuperem meam erga te tibi perspectam esse voluntatem, neque percunctandi finem facere, studiosissime princeps, quo te omnibus hominem esse de me præ cæteris iudicare bene meritum: valde ego sollicitus, tãdem sollicitudini meæ modum reperi. Forte enim tum typis suis excudebat Simon Colinaeus, magni nominis hac nostra ætate typographus, Alexandri Aphrodisi in Aristotelis Metaphysicen commentarios, opus cum per se egregium, tũ ab Ioanne Genesio Sepulveda græce ac latine docto (quæ duo sunt in primis ei necessaria, qui in hoc genere præclare laudabiliterque officio suo defungi velit) in linguam latinam versum. In quo eam tum industriam tum diligentiam adhibuisse mihi quidem videtur, quam ei par fuit: qui cum iustam reprehensionem vitare studeret, eum qui fidelem interpretem se non præstiterit, damnum dedisse: qui vero ipso authore indignum se prabuerit, magnam & sempiternam tarditatis notam subiisse intelligat. quorum in altero peccare solent, qui libidini suæ plus nimio indulgent: in altero, qui interim nimis labori & diligentia parcunt. Hoc itaque opere vt proposito, ita dignitati tuæ nullum potuit accommodatius occurrere, præsertim quod ipse rebus diuinis addictus, sublimia illa mysteria, longissimeque a concretis infimisque aliena, potissimum cures: eosque perbeatos censeas, qui ex rerum naturalium cognitione, supernæ diuinæque naturæ vim maiestatemque odorati, non sese extulerunt, quasi cum tam potente deo Gigantum more bellum gesturi: sed supplices & venerabundi numen vnum supremum, æternum, ineffabile, nullius egens, se ipso, semper, & vndique absolute perfectum coluere. Quod ipsum certe Aristoteles vir ille magnus in iis libris in quos hi commentarii grauitè copioseque ab Aphrodiseo nostro scripti sunt, omnium disertissime qui vnquam de hac re scripserunt, probasse & sensisse videtur. tãtum excipio sanctissimos illos religionis nostræ auctores, qui ea vt oculis viderant, aut certe spiritu dei docente verissime cognouerant, diuinitus memoriæ prodiderunt. Adde etiam illos quos ad Nicomachum de moribus scripsit, inter eos qui ab illo authore relicti sunt, tibi gratissimos, atque id adeo magis (vt opinor) quod in eis passim de pulcherrimo illo virtutum choro multa grauissime sapiētissimeque sunt perscripta, quas maiores illi tui animo actioneque complexi sunt. Quæ certe in te & tuæ familiæ nobilissimis viris summæ supremæque relucet, ac potius viuunt. adeo est familiaris viris Luxēburgi & Briennensis generis, & antiqua cõsuetudo, virtutes a maioribus quasi patrimonio quodam per manus acceptas diligenter tueri, ac egregio aliquo suo facinore cumulare. Testes vos estis quatuor fratres, tanta fide, religione, iustitia, quanta par est Principes omnibus numeris absolutos esse, &

cæteris omnibus, quibus præsumunt, antecellere. Quorum tres, non sine magna totius Galliæ expectatione, nulli rei militaris scientia, aut armorum tractandorum studio, ac exercitatione cedant. belli profecto imperatores præstantissimi, & acerrimi, si qui vnquam fuerint, patriæ defensores. Quis enim Comiti Briennensi tam celebri & illustri nomine, aut Roscido illi Comiti tanto fortitudinis rore, vel Guistellano tam lucidæ nobilitatis stellæ, sese vnquam anteponat, aut etiam comparet? vt ensem verset, aut telum vibret, aut clypeo se tegat promptius, violentius, subtilius? Quæ sunt rei bellicæ stratagemata, insidiæ, valla, foueæ, cuniculi, & præclaros illos Comites lateant, aut ipsi non habeant vel optime cognita? Iam ea sunt animi moderatione & prudentia, vt cum in rebus gerendis consilium norint principem locum obtinere, nihil quicquam inconsultò soleant aggredi. Quorum triumphos Antistes dignissime non dubito quin tu tua singulari eruditione longe reddas ampliores. Hanc omnibus de te fidem faciunt multa tua bonarum artium studia: quorum in primis participem voluisti Ludouicum Fabrum virum præter admirabilem, qua excellit, humanitatem, doctissimum. Quod si liceat per eam expectationem quam tu de te plerisque omnibus concitasti, quicquam nobis aliquando spondidisse, futurum est Luxemburge, vt tu lux sis, cuius radii per ætuo suo fulgore posteros omnes pertingant: neque vllò vnquam æuo vel tantillum possit imminui, nedum extinguui, quæ sit tanti tui nominis & generosæ virtutis immortalitas. Perge igitur, vt facis, fortiter, vir amplissime, neq; hæc nostra ita admodum perpende, quin potius iis tantisper dum maturuerint, desiderium tibi proædendi animum meum prætuleris, sublimia semper, & quæ sunt homine Principe digna, curaturus. Bene vale.

AD EVNDEM EIVSDEM TRICOLON tetraastrophon.

Luxemburge tuam nobilium domum
 Lucentem radiis quatuor aspice,
 Qui virtutibus ardent
 Heroes proavos sequi.

Hi quos Fabriciis persimiles facit
 Laudatæ sobolis candidior fides,
 Bello armisque potentes
 Fortis Scipiadum manus.

Quales eloquio Tullius hospites
 Effinxisse solet, talis amabili
 Et sermone disertus
 Prodis perpetuus decor.

Diues Principibus Gallia maximis
Quales hi comites se fore spondeant,
Stirps hæc clara Brienne
Quæ nullum populum latet,
Ad eundem, eiusdem.

Dic oro longum Musa mihi melos,
Nec parce voci, nec sine tibiam
Cessare, donec signa nostræ
Letitiæ videas amœna.

Afferre cura si quid erit domi,
Quod suaue nostris adiiciat iocis.
Istic locus nullus dolori,
Nec lachrymis, grauibusve curis.

Causam voluptatis retegam meæ,
Applaudere, Mecænas datus est mihi
Virtute princeps eminenti,
Cultor & assiduus Mineruæ.

Hæc est Brienne Janguine regio
Stirps clara, multis cognita seculis,
Et parma & ensis Galliarum,
Ut sibi perpetuet triumphos.

Num fortis, hostes qui domat & regit?
Dic quando Luxemburge tibi vacat,
O digne Mecænas rubenti
Munere Pontificis galero.

Ad inuictissimos Principes, Comitum Brien-
nensem, Comitum Roscidum, & Comi-
tem Guistellanum, eiusdem Decasticon.

Si facit ad laudem, bello exercere iuuentam,
Et teneros armis sollicitare dies,
Laus inter Gallos Comiti præclara Brienne:
Laus etiam Ausoniæ suspicienda cheli.
Nec minor Aeneadum surgit tibi pompa triumpho
Roscide, Francigenum viuida fama, decus.
Tertius aspiciens stella est Guistella, priores
Quos studet ingenio, viribus, arte sequi.
Prospera tot ducibus bene natis Gallia, rege
Quando etiam tanto vindice sceptrâ vigent.